

3 EXERCITATIO IVRIDICA

176942.

QVAESTIONEM CONTINENS

16

*Vtrum debitor, qui solutionem
in chirographo promisit, exceptione
compensationis adhuc vti queat*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRIDERICO GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL.
CVRIA IN PROVINCIA SVPREMÆ IUDIC. LVSAT.
INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS.
ET ACADEMIAE DECEMVIRO

R. 217. IN AVDITORIO ICTORVM

D. III. MART. MDCCCLXIX

PVBЛИCЕ DEFENDET

FRI D E R I C V S A N D R E A S
R I E S N E R

EVDISSA - LVSAT.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA



COLLECTIO
LIBRARIA
MUNICIPALIS
CIVITATIS
TURCICA
AC
HISTORICO-
LITERARIA
ACADEMIA
OZELLO
PER
GALLIA
SOCIETATIS
ACADEMIA
TURCICA
AC
HISTORICO-
LITERARIA
ACADEMIA
OZELLO

1750



§. I.

Obligationem semel natam solutio rursus tollit, quod vocabulum si in sensu generaliori considerare velis compensationem aliosque modos per quos leges debitorem liberant, sub se comprehendit, hinc teste **ULPIANO l. 176. ff. de Verb. signif. solutionis** verbo *satisfactionem quoque omnem accipiendam placet, et solvere dicimus eum, qui fecit, quod facere promisit; compensationis enim vocabulum l. 47. ff. de V.S. eandem vim habet quam solutionis.* In significatu vero specialiori utique solutio a compensatione differt. Illa nempe actualem praestationem eius, quod in obligatione conuentum est, inuoluit, haec

A 2

vero



IV

vero tantum mutui crediti et debiti inter se contributionem denotat: Hęc ex causa euenire solet, vt in nonnullis negotiis v. g. in spolio, in deposito actori petenti exceptio compensationis opponi nequeat. In deposito dum compensationem excludo, neglexisse videor distinctionem quam Doctores inter depositum regulare et irregulare constituunt. Sed iure me hoc fecisse contendō. Depositum enim irregulare, quod ita vocant, nec legibus nec analogiae iuris conuenit. Substantiale sc. depositi consistit in custodia, quae circa rem alteri committitur. Hoc nunquam mutari potest, sed mutatione contingente alias nascitur contractus a deposito longe alienus, quem vero nomine mutuum vocamus. In hoc enim dum creditor fit dominus quantitatis, eadem quoque ex arbitrio uti potest, et compensationis exceptionem non deponenti, sed creditori mutuum repetenti opponit.

§. II.

Nil in praesentiarum dicam de diuisione compensationis, personis et negotiis quae compensationem admittunt, cum haec omnia ex systematibus satis sint cognita, vnicam tantum mouebo quaestionem, vtrum compensatio in casu, si solutio promissa, obtineat. Cuius rei causa sequentem dabimus casum. Titius contraxit mutuum et in instrumento super contractu consepto solutionem promisit. Elapso tempore creditor suum repetit, et debitorem condicione certi ex mutuo conuenit, hic cum exceptionem compensationis opponit, mouetur lis, vtrum hac exceptione de iure uti possit, vel an solutio promissa eidem obsteret.

§. III.

§. III.

Adfirmatiuam sententiam alii simpliciter amplectuntur, et rationem decidendi in eo quaerunt, quoniam id, quod in compensationem venit, pro soluto habeatur cum fiat ipso iure. Ait enim *VLPIANVS l. 10. §. 1. ff. de compensat.*, *si quis compensare potens soluerit, condicere poterit, quasi indebito soluto.* Hinc si debitor antequam a priore debitore pignus liberaret, idem illud ob pecuniam creditam alii pignori dedisset et antequam utriusque creditori solueret, debitum, rem aliam priori creditori vendiderit, creditumque pensauerit cum pretio rei venditae, putat *POMPO-NIVS l. 4. ff. qui pot. in pignot. perinde haberi debere, ac si priori creditori pecunia soluta esset*, addita ratione nihil interesse soluerit an pensauerit. Quam ob causam etiam in processu executivo compensationi dummodo sit liquida, nec legis dispositio debitori obstet, effectum solutionis tribuunt, eandemque creditori opponi posse censerent.

§. IV.

Aliis placet distinctio inter promissionem solutionis, quatenus pure, et quatenus accidente iuramento fit. In posteriori casu compensationem excludunt, si mutuum debitum tempore iuramenti iam adfuerit, adfirmatiuam vero sententiam pronuntiant, si debitum quod in compensationem deducere vult debitor, ex post facto sit exortum. Prius adserunt ex eo defendere student, quod debitor qui sciebat, sibi compere compensationis exceptionem et nihilominus promittebat solutionem, eidem renuntiauerit, cum id, quod de aliis iuribus dicitur, circa exceptionem com-

compensationis locum habeat. Nec obstat quod renun-
ciatio non praesumi possit, sed probationem desideret,
quae vero cum debitor expresse nihil dixerit, deficere vi-
detur. Ast si perpendere velis, voluntatem hominum sae-
piuscule ex ipso facto posse colligi, et taciti candem esse
vix ac expressi, forsitan ipsa declaratio solutionis renuncia-
tionem tacitam exceptionis competentis inuoluet. Prae-
sumptionem itaque renunciationis factae contendunt, eam-
que tanto valore suffulcitam credunt, ut probatio in con-
trarium non admittatur. Cum ex aduerso, si debitum quod
compensationem praebet, ex post facto et praefito iam
iuramento nascatur, praeumptionem penitus excludant, ex
ratione opinioni conuenienti, quod nemo sc. iuri quo
sibi competere ignorabat, renunciasse videatur, et iura-
mentum vicem conuentiois sustineat, quae *I. 38. pr. ff. de
solut.* tacite clausulam, si in eadem causa permaneat, conti-
net. Confirmat hanc sententiam Seraph de Seraphin. *de
priu. iur. 74. n. 38. STRVVIYS Exerc. XXI. §. 27.
LAUTERB. obs. 450.*

§. V.

Nec deficiunt, qui simpliciter nullo respectu habito ad
iuramenti religionem, multo minus, an debitum ab initio an
ex post facto adfuerit compensationem reo ex chirographo
conuento concedunt. Et negare non possum, si sententiae
aduersariorum essent addictus, hanc opinionem mihi pla-
cere, quia analogiae iuris proprius accedit. Expediti nem-
pe iuris est, mutuum debitum ex eo statim tempore, quo
oritur eum producere effectum, ut nihil possit peti, qua-
propter DD. ipso iure fieri compensationem adfiant. Quod
etiam

etiam probat Imper. l. 4. C. de Compens. si constat, inquit pecuniam inuicem deberi, ipso iure pro soluto compensationem haberi oportet, ex eo tempore, ex quo ab utraque parte debetur, utique, quoad concurrentes quantitates. Cui accedit, quod is qui solutionem promittit, id eo animo suscipit, ut satisfactionem obligationis creditori, cuius intereat, polliceatur. Soluere enim l. 4. §. 7. ff. de re Iud. accipimus non tantum eum qui soluit, verum omnino omnem qui ex obligatione liberatus est. Nec obstant ultima verba huius §. quae ex causa iudicata descendit. Quamvis enim ICtus rei iudicatae tantum faciat mentionem et debitorem quem sententia a causa actoris absoluit, ab omni obligatione immunem dicat, praecedentia tamen verba et ratio legis ex qua secundum ICtum l. 17. ff. de legibus voluntas legislatoris interpretanda liquido demonstrat, iuris Consultum per vocabulum solutionis omnes modos quibus perimitur obligatio indicare voluisse, quapropter etiam si non expressis verbis compensationem nominauerit ICtus, nihilominus tamen argumento legis, praesertim cum illud in aliis quoque causis et earum decisione obtineat, veritatem sententiae probari posse nemo est qui dubitabit, conf. ZANGER de Except. P. III. c. 8. n. 1. COVAR R V V. in C. Quamvis de Part. in 6. Qu. I. §. 4. n. 15. EREYER de solut. c. 7. membr. 4. n. 114.

§. VI.

Sed quamvis haec omnia speciem veritatis efficere videantur, immo in Dicasteriis cum omni applausu haec sententia sit recepta, et in sententionando praeualeat, nihilominus tamen si de iure mouetur quaestio, contrarium defen-

VIII

fendere non dubitamus, et debitorem, qui in chirographo solutionem praesertim mediante iuramento promisit, ab exceptione compensationis remouemus. Et ut distincte rem decidamus primo loco de casu, quatenus simpliciter sine iuramento solutionem pollicetur agamus. Non respicimus ad id, vtrum eo tempore, quo debitor se ad solutionem adstringebat, iam existebat mutuum debitum nec ne. Id enim parum efficit, cum ex pacto contra ipsum interpretatione suscipienda. Omne nimurum pactum ita intelligendum, vt voluntas contrahentium forriatur exitum, alias enim plane inutilis foret conuentio, quod tamen dum contraxerunt partes, neutquam est praefumendum. Accedit alterum, qui se ad aliquid praestandum obligat, eius intentio vere eo tendit et tendere debet, vt obligationi exesse satisfaciat, eamque non inuertat, quia alias fraude non caret, et sic doli se participem reddit. Quod si itaque debitor in chirographo creditori solutionem promittit, sollicitus esse debet, vt eandem praestet, et implemento secundum legem quam sibi dixit, satisfaciat. Non vero eius arbitrio relinquitur, vti promissum implere velit, sed respiciendum est ad leges, quid ipsis videatur aequum et iustum. Solutionem si in sensu specialiori considerare velimus, definimus per actualem praestationem eius, quod in obligatione conuentum est. Actuallis itaque praestatione est requisitum, quod substantiale solutionis constituit. Compensatio tollit quidem obligationem sed numerationem pecuniae, quae actualem praestationem efficit, nunquam continet, et in sensu generaliori tantum dicitur solutio. Cum itaque leges solutionem a compensatione distinguant, quamvis vtraque in effectu, nempe quoad modum tollendi obligationem conueniat, quomodo quaeſo dici potest

IX

poteſt, creditorem qui ex pacto ius exigendi ſolutionem acquiſiuit, exceptione compensationis poſſe elidi. Imputet ſibi debitor, quod compensationis nullam fecerit mentionem. Interpretatio enim in conuentionibus contra eum qui a regula aberrat et ius ſingulare praetendit, eſt fuſcipienda. Hoc ſine dubio ad debitorem eſt applicandum, qui dum compensatione vti vult, a propria ſolutionis ſignificatione recedit et ſingulare quoddam affeſtat.

§. VII.

Obijieſies forſan, nihil interelle creditoris utrum debitor ſolutionem actualiter praefet, vel compenſet. Ve- rum eſt, nihil de iure ſuo amittit creditor, ſaluae ſunt uſurae uſque ad illud tempus ex quo compenſatio debitori competebat, nec iniquitas obuenit, cum creditor, ſi compenſatio non haberet locum, nihilominus tamen ex ſua parte id quod debet, ſi conueniatur, ſoluere cogatur: Quae cum ita ſint, ex aequitate quaes lege *go. ff. de R. I.* in omnibus, maxime tamen in iure eſt ſpectanda, interpretationem contra creditorem fieri poſſe, plerique existimant.

§. IX.

Sed quamuis aequitatē nunquam negligendam cenſeamus, potius eandem omni studio obſeruandam ſuadea- mus, negamus tamen merito quod in praefenti caſu ali- quid aequitati contrarium obueniat. In omnibus negotiis ſi vera ſunt quaes dixit *VLPIANVS l. II. §. I. ff. de acf. emt.* potiſſimum ad legem conuentionis, quaes efficit ſtrictum ius et a quo una pars inuita altera recedere non poſteſt, eſt

B

respi-

respicendum. Cum enim bona fides nunquam deficere debet, nihil magis bona fidei congruit, quam id praestari, quod inter partes actum est, et ab obligatione perfecte celebrata, non liberatur promittens, nisi huic secundum intentionem creditoris verbis declaratam satisficerit. Quod si itaque debitor solutionem promiserit, et de compensatione nihil dixerit, quomodo quaeso creditori ius, quod per pactum adquisiuit, inuersa interpretatione adimi potest, potissimum cum non inferatur praediudicium. Salua enim manet actio, qua creditorem ob debitum quod compensare non poterat, separatim convenit.

§. IX.

Alter casus, qui decisionem desiderat, iuramentum promissum adiectum continet. Fingamus casum, Titum in chirographo se ad soluendam pecuniam obligasse et eandem obligationem mediante iureiurando confirmasse. Num eo non obstante compensare queat, mouetur dubium. Eandum decisionem qua in praecedentibus circa simplicem promissionem vsu fuimus, ad praesentem quoque applicamus casum, praesertim cum potiora adhuc argumenta nostram suffulciant sententiam. Constat nempe ex iure Canonico, omne iuramentum valere, quod absque dispendio vitae aeternae potest conseruari. Scimus quoque ius Canonicum quoad materiam iurisiurandi praferendum esse iure ciuili, et eatenus effectum in terris protestantium obtinere. Cum igitur iuramentum obligationi efficaciam operetur, inanem enim et frustaneam iuramenti religionem haud presumimus, liquido constat, debitorem actualem solutionem promisisse,

XI

misisse, quae alium modum tollendi obligationem verbis
conuentionis contrarium non admittit.

§. X.


Accedit et aliud argumentum naturae iuramentorum omni ex parte conueniens. Non valent scilicet reseruationes mentales, quae de dolo iurantis testantur, hinc in concipienda formula caendum est, ne iuraturus ad eiusmodi reseruationes prouocare possit. Nec patrocinium praestandum est periurio, ne occasionem ad delinquendum suppeditemus. Hoc vero sine dubio contingere, si debitor, qui compensationis nullam fecit mentionem, ex post facto ad illam prouocare et vocabulum solutionis, quod tamen in strictiori significatu erat intelligendum, ad eandem adplicare vellet. Optime cum iuramentum praestabat, sciebat, compensationem a solutione differre, posteriorem tamen promisit. Dolose itaque agit, qui verba conuentionis contra intentionem contrahentis interpretatur et ad elidendam vim obligationis supplet illud, de quo ab initio nemo cogitauit.

§. XI.

Ad euitendas tamen lites et difficultates tutiori via procedit creditor, qui curam adhibet ut in obligatione solutionis actualis verbis fatis liquidis declaretur. Hinc si debitor promittit *dals er durch würckliche und baare Bezahlung dem Gläubiger die Befriedigung leisten wolle*, omnis sublata est discordia, et debitor promissi, quod ex documento probatur memor, ad compensationem, quae sub verbis *der baaren Bezahlung* non continetur, neutiquam prouocare potest.

K





ULB Halle
004 053 532




3

SB







EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM CONTINENS

*Vtrum debtor, qui solutionem
in chirographo promisit, exceptione
compensationis adhuc vti queat*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRIDERICO GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL.
CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE IUDIC. LVSAT.
INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS.
ET ACADEMIAE DECEMVIRO

IN AVDITORIO ICTORVM

D. III. MART. MDCCCLXIX

PVBLINE DEFENDET

F R I D E R I C V S A N D R E A S
R I E S N E R

BVDISSA - LVSAT.

L I P S I A E

EX OFFICINA

LANGENHEMIA

